Jahresbericht

der

Fürsten- und Landesschule St. Afra in Meissen

vom Juli 1886 bis Juli 1887,

womit zugleich

zur Feier des Stiftungstages

den 2. Juli

ergebenst einladet

Dr. Hermann Peter,

Rektor und erster Professor, Ritter des Königl. Sächs. Verdienstordens 1. Klasse.

Voran geht eine Abhandlung des Oberlehrer Dr. Gilbert:

Ad Ovidii Heroides quaestiones criticae et exegeticae.

MEISSEN,

gedruckt bei C. E. Klinkicht & Sohn.

1887.

1887. Progr. Nr. 506.

IOANNIS GILBERT

Ad Ovidii Heroides quaestiones criticae et exegeticae.

Quod superiore anno, cum de novissima Ovidii Heroidum editione critica ab Henrico Stephano Sedlmayer instituta (Vindobonae 1886) iudicium facerem in actis philologicis (Gotting.) tom. XVI pp. 398—406, promisi alia me oblata occasione propediem de pluribus illorum poematum locis, de quibus aut explicandis aut restituendis ab editoribus carminum Ovidianorum dissiderem, quid ipse sentirem expositurum esse, hoc iam servare mihi in animo est. Omitto autem totam illam de origine epistularum quaestionem, de qua nondum certe posse iudicari mihi videtur. Ante enim opus est arte critica et hermeneutica ad verba poetae intellegenda et explananda, qua in re accuratissima optimi codicis Parisini cognitione multum adiuvamur, quam Sedlmayeri editioni debemus. Quamquam Ehwaldius quidem nuperrime (ann. Burs. tom. XXXXIII pp. 238 sqq.) Keilii collatione usus nonnulla eorum quae Sedlmayerus de scripturis codicis P adnotat in dubium vocavit: id tamen constat nova editione Heroidum multo nobis firmiora quam ante praesidia ad operam criticam exercendam comparata esse. Neque vero Sedlmayero assentior in commentario critico ad Ovidii Heroides (Vindobonae 1881) praef. p. 6 occasionem genuina verba poetae investigandi coniecturisque restituendi saepius offerri neganti: quisquis ipsam illius viri docti editionem inspexerit, latam is etiam nunc viris doctis aream patere intelleget. Atque ego quidem ita rem institui, ut duorum capitum priore emendationes nonnullas ad singulas Heroidum epistulas proponerem, altero codicem P iure ac merito omnium plurimi aestimatum etiam magis quam adhuc factum est respiciendum eiusque lectiones saepius esse recipiendas demonstrarem, ad extremum appendicis loco coniecturas quasdam ad alios Ovidii libros adicerem. Numeris in Heroidibus semper utor editionis Sedlmayerianae additis in indice tantum numeris Merkelianis.

Caput I.

II 11 sq. ita legitur: *Saepe fui mendax pro te mihi, saepe notavi*
Alba procellosos vela referre notos.

E codice Etonensi et inferioribus libris W. Terpstra (Lugd. Bat. 1829) et Palmerus pro *notavi* ediderunt *putavi* nulla sententiae mutatione. Ego quidem neque hoc verbum neque illud recte se habere mihi persuasi. Id enim neminem video dubitare, quin Demophoontis ex

Attica in Thraciam reditus, non eiusdem profecti in Thraciam sed vehementi procella reiecti in Atticam reditus significetur: nam noto sive austro utendum erat Demophoonti ad Phyllidem suam reversuro, neque videtur Ovidius notos pro ventis posuisse; eadem autem vis inest in adiectivo *alba,* quod hoc loco non tam perpetuum epitheton velorum est (ita Rubnkenius dictata ad Ov. Heroidas ed. Friedemann p. 11) quam *fausta, boni ominis vela* significare cum Burmanno putaverim; postremo ipsum quoque verbum *notavi* vereor ne pro *putavi* dici non potuerit. Animadvertere, suis oculis videre dicitur Phyllis, si modo *notavi* legitur, notis alba vela sponsi redeuntis referri, neque aliud quidquam aut voluerunt aut velle potuerunt ei qui *putavi* scribere maluerunt. Iam vero cur noti *procellosi* dicantur, in dubio relinquitur. Nam ut noto opus erat Demophoonti in Thraciam naviganti, ita procelloso noto Phyllidi sperare non licuit fore ut reduceretur. Nihil igitur efficitur, si comparantur *nubiferi noti* III, 58, *praecipites noti* Am. I, 7, 16, *rabies noti, quo non arbiter Hadriae maior* Hor. carm. I, 3, 14 sqq. Itaque cum noti Demophoontem ad Phyllidem reverti patiantur, procellosi noti vetent, leni ego mutatione pro *notavi* puto *negavi* scribendum, quod librarii errore finem pentametri *(notos)* prospicientis facile suo loco demoveri potuit, ac totum locum ita distinguendum esse:

Saepe fui mendax pro te mihi: saepe n e g a v i
Alba procellosos vela referre notos;
Thesea devovi, quia te dimittere nollet
(Nec tenuit cursus forsitan ille tuos);
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Mersa foret cana naufraga puppis aqua.

His enim versibus continentur ea quae Phyllis, ne Demophoontem periurum et mendacem putaret, ipsam sibi mentitam esse dicit. Omnia maluit credere quam perfidum illum esse, in quem tot et tanta beneficia contulerat; itaque a levioribus causis, quibus eum redire ad sponsam prohiberi putat, ad graviores pergens primum Phyllis procellas affert navigare Demophoontem vetantes, deinde Thesea, patrem eius, filii precibus atque optatis obsistentem, postremo, id quod gravissimum est miserrimumque, naufragium ac mortem adulescentis, quem ad se redeuntem aquis haustum esse quam violasse fidem mavult credere. Haec omnia, inquit, ne crederem te periurum esse, id quod iam pridem persuasum habere debebam, mihi sum mentita:

vv. 21 sq. *Denique fidus amor quidquid properantibus obstat*
Finxit, et ad causas ingeniosa fui.

Neque potuit Phyllis nisi longa interposita mora a se impetrare, ut nolle reverti Demophoontem existimaret: at nunc perspectam eius perfidiam habet (vv. 25 sq.)

Demophoon, ventis et verba et vela dedisti:
Vela queror reditu, verba carere fide.

Reliquum est, ut moneam in illo versu restituendo a codice P nos defici, quippe qui inde a versu quarto decimo alterius epistulae incipiat. Librarios autem, qui *notavi* vel *putavi* verbum inseruerunt, apertum est vv. 125 sq. respexisse:

Et quaecumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror esse deos,

ubi Phyllis id se *etiam nunc* facere dicit, quod illi *saepe* se *fecisse* vv. 11 sq. dicere eam volunt.

II 89 sq. editur a Merkelio, Riesio, Sedlmayero:

Sed neque consului, nec te mea regia tanget
Fessaque Bistonia membra lavabis aqua,

ubi potius *fessave* exspectabamus. Nunc demum video hanc emendationem iam a Terpstra in textu positam esse, mirorque editores eam repudiasse, Sedlmayerum ne adnotasse quidem. Ruhnkenius codices hoc loco fluctuare inter *fessaque* et *fessave* affirmat. Concedendum sane est saepenumero post *nec* sequi particulas coniunctivas, ut *non* repetendum sit ex praecedentibus: sed aliter comparati mihi videntur ceteri loci atque is de quo agimus locus, quo, si *fessaque* legitur, is qui audit vel legit, non potest non exspectare fore ut sententiae negativae affirmativa adiungatur.

II 137 offendo in singulari quadam sententiae conformatione:

Duritia ferrum ut superes adamantaque teque,
„Non tibi sic“ dices „Phylli, sequendus eram.“

Num ita dici potuerit, vehementer dubito. Quamquam Terpstra egregie et emphatice Demophoontem se ipsum, licet ferro et adamante duriorem, duritia superare videri Phyllidi censet, Ruhnkenius variis modis usurpari locutionem *se ipsum superare* duobus exemplis demonstrat. Haereo tamen in hoc loco, quotiens lego, nec possum mihi persuadere, ut recte eum traditum esse existimem. Neque enim duritiam Demophoontis tempore aliquo maxime exstitisse Phyllis queritur, sed duritia eius in commune dicitur: hoc interest inter locum Ovidianum et eos qui a Ruhnkenio allati sunt locos. Itaque mutare ego velim:

Duritia ferrum ut superes adamantaque, certe:
„Non tibi sic“ dices „Phylli, sequendus eram.“

Coniungendum igitur est *certe dices (doch wenigstens).* Adverbium *certe* saepe ponitur in hexametri exitu, cf. V, 125; Metam. II, 543.

II 139 sq. *Saepe venenorum sitis est mihi, saepe cruenta*
Traiectam gladio morte perire iuvat.
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Praebuerunt, laqueis inplicuisse lubet. (iuvat?)
Stat nece matura tenerum pensare pudorem.
In necis electu parva futura mora est.

Non primus offendo in verbis *tenerum pensare pudorem.* Quinam intellegendus sit *tener pudor,* ab interpretibus non explicatur; mira attulit Terpstra in editione sua. Apertum autem est vocem *pudoris* cum hoc adiectivo coniunctam nullam aliam vim habere posse nisi *Scham, Schamgefühl,* quae tamen verbo *pensare (ausgleichen, büssen)* prohibetur; nam sola voce *pudoris* significari *laesum pudorem seu virginitatem* credi non potest. Mutandum igitur aliquid esse cum iam pridem intellectum sit, codices aliquot inferiores *miserum* praebent, *serum* Kuinoel coniecit. Suspicari possis *laesum* (Metam. I, 600; II, 450), quae tamen coniectura haud scio an audacior videatur: itaque malim conicere mutata etiam distinctione:

Stat nece matura sceleris pensare pudorem:
In necis electu parva futura mora est.

Iam vero *pudor* idem valet atque *ignominia, infamia, dedecus,* ita ut recte Ruhnkenius verba *nece pensare pudorem* explicet *mortis laude aequare pudicitiae amissae infamiam.* Hoc ipsum scelus est Phyllidis, cf. v. 29 *Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi* et vv. 57—60 *Turpiter hospitium lecto cumulasse iugali Paenitet — dum potui Phyllis honesta mori!* Hoc scelus, hanc culpam morte Phyllis luitura est. Similiter autem *sceleris pudor* coniungitur atque *admissi mei pudor* VII, 106, *facti pudor* Am. III, 7, 37, nisi quod utroque hoc loco genetivos obiectivos habemus. Ad eam quam proposui distinctionem defendendam paucis opus est verbis, cum parum adhuc quae ratio inter hexametrum et pentametrum intercedat ab editoribus perspectum esse videatur. Certum mihi est, Phyllis inquit, mori: haesito adhuc, qua ratione mortem mihi consciscam. Adversativae igitur duae sententiae sibi opponuntur: ut certum Phyllidi est mori, ita nondum constituit, qua via mortis uti velit, venenisne an gladio an laqueis (vv. 139 sqq.) an, id quod ipsa primum nominat, in undas sese immittens. Ergo vertendum: *ich bin entschlossen zu sterben: nur in der Wahl der Todesart* et q. s.

III 133 sq. *Sis licet immitis matrisque ferocior undis:*
Ut taceam, lacrimis comminuere meis.

In verbo *comminuere,* quod eandem vim habere dicunt viri docti quam aliis multis locis verbum *frangere,* offendo atque librario alicui aut erranti aut futurum desiderari iudicanti hanc lectionem deberi censeo. Non multum a vulgata lectione ea quam propono recedit:

Ut taceam, lacrimis commoveare meis.

IV 15 sq. *Adsit, et ut nostras avido fovet igne medullas,*
Figat sic animos in mea vota tuos.

Ita codices tradunt, editoris nostrae aetatis omnes receperunt. Ac iure eos repudiasse puto *urat,* quod Francius, *frangat,* quod Burmannus et Bentleius pro *figat* coniecerunt. Tamen de arcu Cupidinis sagittam in Hippolyti pectore figentis cogitare nos vetat id ipsum, quod non pectus vel pectora, sed animi adulescentis designantur. Quam ob rem iam pridem mihi persuaseram *fingat* potius scribendum esse, antequam hanc lectionem a Sedlmayero (aeque ac II, 90 *fessare)* omissam a Terpstra in textu positam invenirem. Qui quam interpretationem totius loci praebet, hanc prorsus meam facere possum. In eum, inquit Phraedra, animos tuos habitum effingat, quem ego opto. Haec huius loci restitutio aut vera mihi videtur aut digna, quae in editionis criticae adnotatione non praetermittatur.

IV 85 sq. *Tu modo duritiam silvis depone iugosis:*
Non sum materia digna perire tua.

Si modo *materia* defendi non potest, qua de re virorum doctorum consensio videtur esse (cf. tamen Georges lex. lat. s. v. *materia),* neque coniectura Palmeri *militia* nec Sedlmayeri *duritia* genuinam poetae scripturam restitutam esse iudico. Quamquam Sedlmayeri quidem coniectura et Riesio videtur egregia et Ehwaldio l. l. p. 236 arridet. Ego potius cum Birtio facio, qui, cum ipse quoque de *duritia* cogitavisset, hanc coniecturam reiecit gradationem huius notionis in pentametro desiderari ratus. Unde ego profectus hanc propono mutationem, quae etiam propius quam Sedlmayeri a tradita scriptura abest:

Tu modo duritiam silvis depone iugosis:
Non sum barbaria digna perire tua.

Iam habemus quod desideratum est. De duro animo privigni a votis novercae abhorrentis Phaedra apte hac voce utitur, quam Ovidius, etsi non eadem ratione, similiter tamen in Arte amatoria II, 552 usurpat: *barbaria noster abundat amor.* Hippolyti enim barbaria amorem et blandimenta Phaedrae aspernatur, contra hoc loco Ovidius difficilem viri amantis animum moresque immites et puellam vexantes queritur; cf. etiam Am. I, 7, 19.

VI 53 sq. *Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere norunt.*
Milite tam forti vita tuenda fuit!

Ita ex codicum memoria hoc distichon Riesius edidit, sed neminem video esse, qui traditam scripturam defendere audeat. Ea autem librorum condicio est, ut cum Guelpherbytano paene omnes *forti vita* praebeant, solus Parisinus *fortuna* exhibeat ipsum quoque ab altera manu in *forti vita* correctum, denique inferiores aliquot *forti ripa* habeant. Hanc lectionem in textum nonnulli receperant *ripam* pro *litore* positum esse defendentes (vid. Terpstra, Ruhnkenius): de qua verba facere supersedeo, cum nec bonis libris nitatur neque Iason cum sociis suis hostiliter insulam Lemnum adierit, ergo ab hostibus tuendum regnum Hypsipyles non fuerit. Eadem de causa, siquidem vitam neque reginae neque ceterarum mulierum Lemniarum Argonautae appetiverunt, etiam nostra aetate viri docti traditam scripturam ferri non posse iudicaverunt. Ac primum quidem Merkelius *causa* pro *vita* edidit, Palmerus coniecit: *milite tam forti, nauta, tuenda fui,* Riesius *terra tenenda fuit* proposuit, Birtius *zona* pro *vita* scribi voluit, Sedlmayerus postremo, ut eandem ac Birtius sententiam efficeret ac minus quam ille a tradita scriptura recederet, *vitta* in textu posuit vittam esse virginitatis signum adnotans, quam ad rem demonstrandam contulit Art. am. III, 483; Met. I, 477; II, 413; Verg. Aen. II, 168. Facillima videtur Sedlmayeri emendatio ac probatur Ehwaldio (l. l. p. 223, 236), neque tamen recte ab illo defenditur. Illis enim locis, quibus demonstrari putat vittam poni pro signo virginitatis, minime id efficitur: sed illud cum ex his tum ex aliis permultis locis intellegimus vittam esse insigne pudoris. Qua de re conferas velim ea quae Lorenzius in editione Mostellariae Plautinae in excursu quodam ad versus eius fabulae 224—226 disseruit pp. 188 sq. Quodsi falso argumento Sedlmayerum ad probandam suam coniecturam uti me demonstrasse confido, quod idem act. philol. (Gotting.) tom. XVI p. 402 demonstravi, iam nova exoritur quaestio, num forte vitta pro insigni pudoris posita Sedlmayeri coniectura probari possit. Ac vereor ne celerius iudicaverim, cum l. l. falsam eam esse contenderem falso eius ipsius qui proposuerat argumento adductus: immo optima earum quae ad hunc locum propositae sunt emendationum nunc mihi videtur, — si modo ipsa tradita lectio emendatione eget. Quam defendere ego conabor, qui superiore tempore hoc fieri posse non crediderim et ipse varias rationes sanandi loci excogitaverim (signo interrogationis posito *nonne tuenda fui?* aut *non metuenda fui?* aut *vis metuenda fuit?*), atque ut id facere coner, moveor loco quodam Tristium, quem nuper offendi, IV, 4, 35 sq.:

. . . . *in omnibus actis,*
Ultima si demas, vita tuenda mea est.

Quae verba si recte intellego, Ovidius dicit vitam suam, cum ab ultimo tempore Romae exacto discesserimus, omni labe carere, praeter illum finem vitae suae splendorem nullis maculis aspersum esse, ergo tuendam vitam suam esse scil. ab omni probro. Nonne simili ratione Hypsipyles verba videbuntur intellegi posse? *Milite tam forti,* inquit, *vita tuenda fuit!* scil. ab

omnibus periculis et calamitatibus, quas tu mihi *tectoque animoque receptus* (v. 55), at nunc Medeae coniunx factus intulisti. Non ego debebam hospitio te excipere, sed praestabat, id quod primo mihi certum erat facere, cum fortibus Lemniis mulieribus impedire, ne navis tua ad insulam nostram appelleretur. Sic vita mea tuenda fuit — non a vi et armis, sed a calamitate, a mariti perfidia. — Restat, ut, quod lectio quam defendere conatus sum in optimo codice a manu secunda exarata est, non esse, cur veram et genuinam eam negemus esse, affirmem. Ex editione Heroidum Sedlmayeriana perspicere licet multis locis bonam vulgatamque lectionem Guelpherbytani aliorumque librorum in Parisino falsae lectioni primae manus aut superscriptam aut correctione a manu secunda restitutam esse.

VII 33 sq. *Aut ego quae coepi — neque enim dedignor — amare,*
Materiam curae praebeat ille meae.

Hanc lectionem ab optimis libris traditam vitiosam esse inter omnes constat. Quam ut sanarent, viri docti diversas vias ingressi sunt. Sed cum nullam videam emendationem huius loci ceteris viris doctis placere, novam audeo adicere eis quae iam prolatae sunt. Iure enim coniunctionem *aut* Birtius affirmat sensu carere, nec tamen ea quae praeterea ille proponit sequi possum. Suspicatur Birtius Ovidium scripsisse:

Ante ego quae coepi — neque enim dedignor — amare,
Materiam curae praebeat ille meae.

Ne hanc quidem sententiae conformationem mihi placere confiteor, quamvis lenis ipsa mutatio sit *(ante* pro *aut)*; displicet etiam, quod sententiam relativam *quae ego* ad pronomen *meae* in fine pentametri positum pertinere vult. Audaciore paulo mihi opus videtur emendatione, ac propono:

Ante ego quam coepi — neque enim dedignor — amare,
Materiam curae praebuit ille meae.

Ante igitur cum Birtio puto scribendum esse: littera *e* ante *ego* posita librarium fallere facile potuit, quae postquam evanuit, fieri non potuit, quin *aut* scriberetur. Hanc autem coniunctionem antiquitus in offensione fuisse cum ei codices docent qui *atque* habent, tum ipse Parisinus, in quo coniunctioni *aut* a manu prima *et* superscriptum est, et Guelpherbytanus. Iam vero cum *ante* evanuisset, *quam* non est intellectum, ergo aut in *quae* mutatum est (propter *ego* — sic in plurimis eisque praestantissimis libris) aut in *quem* (propter *ille* pronomen quod sequitur), quae lectio vulgabatur. Cum autem coniunctione *aut* hoc distichon priori enuntiato *castris militet ille tuis* adiungeretur, necesse erat etiam v. 34 coniunctivum praesentis *praebeat* pro indicativo perfecti poni. Unum igitur librarii errorem *aut* pro *ante* legentis duae aliae mutationes paene necessariae secutae sunt. Id autem iterum affirmo coniunctioni *aut* locum non esse, quae quid sibi velit equidem non intellego, quamvis Sedlmayerus (comment. crit. p. 27) simpliciter locum explicari posse censeat cl. Am. I, 3, 2 *aut amet, aut faciat, cur ego semper amem.* — Quae sententia sit eius quam proposui coniecturae, apertum est. Dido dicit suum amorem, cuius se non pudeat, amore Aeneae se petentis excitatum esse: itaque iure perfidiam queritur Aeneae v. 30 *Sed queror infidum questaque peius amo;* vv. 57 sq. *Nec violasse fidem temptantibus aequora prodest: Perfidiae poenas exigit ille locus.*

VII 45 sq. *Non ego sum tanti † quid non censeris inique*
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.

Locus est conclamatus a multisque temptatus et veterum et nostrorum temporum. Parisinus habet *quid* (correctum a manu secunda in *quod,* vid. supra p. 6) *non censeris* (altera virg. litterae *n* et littera *s* in ras.); de ceterorum librorum memoria vide Sedlmayeri editionem, eandem de coniecturis Merkelii, Riesii, Palmeri, Birtii, Madvigii. Postea Carolus Schenkl *tanti (quid enim causaris, inique?)* coniecit, Leo *quid? num censeris inique?,* Antonius Zingerle *Non ego sum tanti, de qua censeris inique, Ut pereas, dum me per freta longa fugis?* cl. ex Pont. II, 5, 73 et III, 1, 75. In tanta opinionum fluctuatione liceat mihi coniecturis propositis unam addere, quae vix differat a litteris in optimo codice traditis:

Non ego sum tanti, quod non c r e d e r i s, inique,
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.

Hoc tibi, Dido inquit, non credent dignam me esse, quam fugiens pereas. Saepissime ab Ovidio verbum *credor* ea vi usurpari, ut valeat *mihi creditur,* non opus est exemplis demonstrare, quae permulta afferri possunt. Ac ne in pronomine quidem *quod,* opinor, offendendum erit, quippe quod in accusativo positum neutrius generis ita cum passivo *credor* ut cum verbis intransitivis non minus recte coniungatur quam cum transitivis verbis.

VII 57 sqq. *Nec violasse fidem temptantibus aequora prodest:*
Perfidiae poenas exigit ille locus,
Praecipue cum laesus amor. quia mater Amorum
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.
Perdita ne perdam, timeo, noceamve nocenti
Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.

Totum locum exscribere volui, quo expeditius cognosceretur vitium quod in eis inesse mihi persuasi. Ac ne longus sim, medium distichon e verborum contextu eiciendum censeo atque hos versus 59, 60 a posteriore poeta ac minus eleganti interiectos esse. Ovidii enim elegantia ipsa conformatio sententiae mirum quam aliena est, quae quanto venustius dici potuerit, cognoscere nobis licet comparantibus XVI, 23 sq. *Illa dedit faciles auras ventosque secundos: In mare nimirum ius habet orta mari;* XV, 213 *Venus orta mari mare praestat amanti.* Hae autem epistulae Paridis et Sapphus num ipsius Ovidii sint, vehementer dubitatur, illam Didonis epistulam constat Ovidii esse. Atque ea quidem gravissima causa est, cur illos versus Ovidio abiudicem: sed accedunt leviores quaedam, quibus suspicionem meam confirmari puto. Offendo enim in abrupta illa verborum structura, maxime in omissa copula *(sit* vel *est)* sententiae temporalis vel causalis a coniunctione *cum* incipientis. Nec praetermissum a me erit, quamquam hoc ipse non magnum momentum habere putaverim, adiectivo *Cytheriacus,* ubicunque alibi a poetis Latinis usurpatur (ab Ovidio semel Fast. IV, 15 *Cytheriaca myrto),* non significari *id quod insulae Cytherorum est,* sed *id quod Veneris sive Cythereae est.* Postremo tantum abest, ut sententiarum conexus eiectis versibus 59 sq. turbetur, ut contra aptissime sententiae inter se cohaereant, si versum 58 versus 61 excipit ita loco constituto:

Nec violasse fidem temptantibus aequora prodest:
Perfidiae poenas exigit ille locus.

Perdita ne perdam, timeo, noceamve nocenti,
Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.

Neque enim, quod Dido eis qui fidem violaverint mare (i. e. navigationem) timendum esse dicit, de alia ulla re cogitari potest nisi de amantium iure iurando.

VIII 19 sq. *Sit socer exemplo, nuptae repetitor ademptae,*
. . . .
. . . .
Nupta foret, Paridi mater ut ante fuit.

Ita e codicibus cum reliquis tum Parisino, in quo *repetitor* ex *repetitus* correxit manus altera, Sedlmayerus edidit inter duos versus unum distichon intercidisse ratus, quod in deterioribus quibusdam codicibus et ab editoribus superiorum temporum varie suppletur. Nostrae aetatis editores alii aliud in textu posuerunt nec tamen sanasse locum videntur. Birtius ad extremum locum depravatum esse ratus et glossema suspicatus Ovidium ita putat scripsisse:

Sit socer exemplo. Sine te, repetitor ademptae,
Nupta foret Paridi mater ut ante fuit.

Quae Birtii coniectura quamvis planam efficiat et verborum structuram et sententiam, tamen ea potissimum de causa mihi displicet, quod hoc loco Hermionen omnibus precibus auxilium Orestis implorantem et flagitantem anastrophe quae dicitur uti, i. e. absentem alloqui Menelaum non est veri simile. Accedit, quod substantivum *repetitor* nisi hoc versu apud scriptores Romanos non legitur neque in optimo codice certe traditum est. Itaque in hac voce verbum potius inesse ratus ita malim locum restituere:

Ni socer e x t e m p l o nupt a m repet i s s e t ademptam,
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.

Ad sententiam condicionalem cf. v. 102 *Pars haec una mihi, coniunx bene cessit Orestes: Is quoque, n i pro se pugnet, ademptus erit.* Saepe etiam adverbium *extemplo* apud Ovidium legimus, idque paene semper eodem versus loco, ante caesuram quam dicunt penthemimeren.

VIII 103 sq. *Pyrrhus habet captam reduce et victore parente.*
† Et minus a nobis diruta Troia dedit.

Ita Sedlmayerus cum Parisino et aliquot deterioribus libris: hoc fundamento nitendum est in restituendo pentametro, qui cum ita ut traditus est intellegi non possit in plurimis codicibus varie est mutatus. Itaque Merkelius et Riesius Guelpherbytanum secuti ediderunt *Hoc munus nobis diruta Troia tulit;* Riesius postea coniecit *Ei mihi! sic* (vel *quae*) *nobis diruta Troia dedit;* melius, ut mihi videtur, quamquam non probabiliter, Birtius ipse quoque a codicis Parisini lectione profectus *Et damnum nobis diruta Troia dedit;* Carolus Schenkl *Munus id a! nobis diruta Troia dedit;* Leo *Et minus, a, nobis diruta Troia tulit;* nuperrime Ehwaldius (ann. Burs. tom. XXXXIII p. 237) *Munus et ah! nobis diruta Troia dedit.* Hae omnes coniecturae aut sententiae loci aut verbis traditis mihi videntur non respondere; etiam quod Birtius voluit, cum pronomen demonstrativum desideretur, languidum est. Iure Terpstra antithesin observari iubet inter parentem Menelaum Troia diruta victorem et filiam vi abductam, argumentumque praeterea monet ab absurdo petitum esse, patrem ab hoste victorem reversum esse et filiam raptam teneri. Itaque acutiorem in pentametro sententiam inesse ratus ac simul ita

corruptam codicis lectionem facilius explicari hanc ego in Fleckeiseni annalibus tom. CXXXIII p. 865 coniecturam proposui et nunc repeto:

Pyrrhus habet captam reduce et victore parente.
Et d o m i n u m nobis diruta Troia dedit!

Hermione queritur captam se esse, Pyrrhum suum esse dominum, eandem suam sortem, filiae victoris, esse atque Troadum captivarum; cf. vv. 11 sq. *Quid gravius capta Lacedaemone serva tulissem, Si raperet Graias barbara turba nurus?* Sic restitutus mihi ille locus videtur, nisi forte praestare censebis vocabulis *et* et *a* inter se permutatis, quod haud scio an facile potuerit in codice fieri, ita scribere:

A! d o m i n u m et nobis diruta Troia dedit.

IX 37 sq. *Inter serpentes aprosque avidosque leones*
Iactor et haesuros terna per ora canes.

Sic vulgo nunc editur. Codices Parisinus et Guelpherbytanus *hesuros* exhibent, cum codicibus aliquot deterioribus *esuros* Heinsius in textum recepit locumque sic ingeniosissime restituisse videtur Ruhnkenio. Praepositione *per* ego quoque moveor, ne vulgatam lectionem veram esse arbitrer: sed minime mihi placet Heinsii *esuros*. Fortius desidero verbum ac minus tritum. Propono igitur aut *h a u s t u r o s* aut, quod etiam propius a codicibus abest, *h a u s u r o s,* quo participio cum alii Romanorum poetae tum Vergilius Aen. IV, 383 usus est. In hac forma verbi *haurire* offendentes puto librarios aliud verbum minus aptum inseruisse.

IX 125 sq. *Nec venit incultis captarum more capillis,*
Fortunam vultu fassa tegendo suam.

Ita Merkelius e vestigiis Guelpherbytani edidit et Hauptius opusc. I p. 96 *tegendo* correpta postrema syllaba non modo ferri posse iudicavit sed etiam ad defendendum alium locum, qui offensionem quandam praebet, Metam. XII, 407 usus est hoc loco. Quin illa lectio ferenda non sit, nemo iam dubitat. Parisinus *tegente* habet, in rasura *suam,* ita ut prima manus quid scripserit cognosci non possit; utrum *vultu* an *vultus* (sive *vultum*) a prima manu in Parisino scriptum fuerit, dubitandum est, cum Sedlmayerus illud, hoc Ehwaldius teste Keilio usus affirmet. Sed quoquo modo res se habet, hoc ego pro certo affirmaverim consentioque cum Birtio reiciendam esse et aspernandam Handii coniecturam, quam his septem annis Sedlmayerus comm. crit. p. 36 probaverat, reiectam deinde a Sedlmayero nuper Ehwaldius defendit: *Fortunam vultum (vultus* mavult Ehw.) *fassa tegente sinu* (vel *manu* vel simile aliquid Ehw.), i. e. »*ihr Los bekennend, indem sie mit den Brustfalten des Gewandes das Gesicht verhüllt.*« Nempe nimis ineleganter dictum est. Praetermitto *κακοφωνίαν fortunam vultum,* quae vereor ne numero plurali *vultus* posito tegatur potius quam tollatur: maxime offendo in mira hac collocatione verborum, qua primum duo accusativi ponuntur, tum duo participia, a quorum priore prior accusativus, ab altero posterior pendeat. Hoc fieri posse exemplis nondum est demonstratum. Itaque alii aliud suspicati sunt, ut Riesius et Sedlmayerus Melissum secuti *tacente* ediderunt, alii *rigente* aut *decente* defenderunt. Quamquam sic acumen, ut ita dicam, rhetoricum amittitur. Verbum *tegere* igitur tuendum esse, de quo Parisinus et Guelpherbytanus consentiunt, neque tamen aut in Parisino aut in Guelpherbytano formam, in qua discrepant, veram traditam esse arbitratus propono:

Nec venit incultis captarum more capillis,
Fortunam vultu fassa **tegensque** *suam* aut **simul**,

siquidem de ultima pentametri voce nihil omnino constat in optimo codice, ergo quodcunque aptissimum videbitur, inserere licebit. Sententia igitur huius versus haec est: »*ihr Unglück bekennend mit dem Antlitz und (gleichzeitig) verbergend.*« Fatetur enim captiva mulier fortunam suam vultu obtecto, quod est luctus signum, eadem re fortunam suam removet ab oculis multitudinis spectandi studiosae. Non ita Iolen facere captam Deianira queritur, cf. v. 129 *Dat vultum populo sublimis*, quae verba cum opposita sint eis quae v. 126 leguntur iure ab Ehwaldio ad tuendam vocem *tegere* afferuntur, non iure, opinor, ad formam *(tegente)* eius vocis tuendam. Itaque haec mea sententia est, ut in versu 126 *fateri* et *tegere* sibi opponi censeam et ab utroque verbo accusativum *fortunam* pendere: fortuna tegitur, quia vultus tegitur, sed idem signum est lugentis amissam patriam. Ita cum vere Ovidiana evadere mihi videatur et sententia et structura (simile aliquid video Bentleium voluisse, qui *fassa tegensve suam* proposuit, sed ipsa particula disiunctiva mihi displicet), tamen miror neminem, quantum scio, eam quae adhuc in Parisino exstat lectionem defendere conatum esse: *Fortunam vultu fassa tegente suam.* Subdura illa quidem videbitur verborum constructio, qua accusativum obiecti cum utroque participio, quorum posterius a priore pendeat, coniungere iubemur, tamen posse eam ferri equidem haud negaverim.

Quodsi id constat formam *tegendo* a Guelpherbytano traditam correpta postremo syllaba defendere non licere, nova iam exoritur quaestio de illo Metamorphoseon versu XII, 407

Haec et blanditiis et amando et amare fatendo
Cyllaron una tenet; cultu quoque (ita Merkelius) et q. s.;

cuius insolentem elisionem *amandō ĕt amare* in altera parte versus usurpatam Hauptius eo de quo modo disseruimus Heroidum loco defendi putavit. Non recte id factum esse demonstratum est: num audacius agere videbimur, si hoc quoque loco offensionem tollere studebimus? Levis adhiberi potest medela; scribatur:

Haec et blanditiis et a m o r e *et amare fatendo*
Cyllaron una tenet et q. s.

Gerundio in fine hexametri posito librarium adductum esse, ut etiam ante pro substantivo gerundium scriberet, facile suspiceris.

X 1 sq. 3 *Quae legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto,*
Unde tuam sine me vela tulere ratem;
5 *In quo me somnusque meus male prodidit et tu,*
Per facinus somnis insidiate meis.
1 *Mitius inveni quam te genus omne ferarum:*
Credita non ulli quam tibi peius eram.
7 *Tempus erat, vitrea quo* et q. s.

Hic est versuum ordo a codice Guelph. traditus, quem defensurus sum; adscriptis numeris ordinem a Parisino exhibitum significavi. Quod Sedlmayerus Prolegom. crit. ad Heroid. Ovid. p. 80 sq. illum ordinem a reliquis codicibus differentem argumento esse dicit, quanta cum licentia codicis G librarius textum tractaverit, hoc ipso argumento haud scio an ei viri docti (nomino Riesium ann. Burs. tom. XXVII p. 76) nihil moveantur, qui verum et genuinum esse

solum eum ordinem sibi persuaserunt atque id sine dubio perspexissent, etiam si casu factum esset, ut ne unus quidem codex hunc versuum ordinem servaret. Negari enim nequaquam potest alterum vulgati ordinis distichon (*Quae legis* et q. s.) usitatae formae initii epistulae prorsus respondere, primum (*Mitius inveni* et q. s.) contra abrupte, ut ita dicam, in initio epistulae positum esse conexuque et continuatione carere. Quod cum intellexissent, hos duos versus nonnulli viri docti, primus Micyllus, novissimus Sedlmayerus, secluserunt neque suo loco esse nec respondere facilitati Ovidianae iudicantes (Ruhnken. l. l. p. 63). Atque illud quidem facile concedo, hoc demonstratum non est: neque enim ullam offensionem video aut in ipsis verbis aut in ratione metrica. Itaque rectius ei egerunt qui hoc distichon retinuerunt atque aliam rationem interpretandi ac restituendi huius loci circumspexerunt. Atque Vahlenus in egregia commentatione quae inscribitur „Über die Anfänge der Heroiden des Ovid" (Berol. 1881) p. 25 sq., cum abrupte verba *Mitius inveni* usque ad *peius eram* in initio epistulae posita esse perspexisset, tamen retinenda ea hoc loco esse iudicavit non ille quidem artiorem quandam coniunctionem cum eis quae sequuntur intercedere ratus, quae nulla est, sed ante hoc distichon duos versus in initio epistulae positos intercidisse arbitratus tales fere quales adhuc exstant in veteribus quibusdam editionibus saeculi XV *Illa relicta feris etiam nunc, improbe, Theseu, Vivit: et haec aequa mente tulisse velis.* Impetrare a me non possum, ut viro doctissimo et sagacissimo in hac re assentiar. Nam id quidem mihi facile persuasit illud distichon non esse abiudicandum ab Ovidio, quamquam, si abesset, minime desideraretur. Quod autem aliud ei distichon praefigi vult, quid sic efficimus nisi ut iam non unum, sed duo disticha in initio epistulae posita esse inter se illa quidem coniuncta sed contextu et continuatione sermonis reliqui carentia? Sed hoc Vahlenus videtur duorum malorum levius putare, quippe qui versibus 1. 2 post versum 6 positis sententiarum conexum turbari dicat. Quod num verum sit, iam videamus. Haec Ariadne Theseo scribit: „Quae legis, Theseu, ab illo tibi litore ego mitto, quod sine me reliquisti (vv. 3. 4); ubi somno meo, tua perfidia prodita sum (vv. 5. 6). Mitiores quam te etiam feras cognovi: nemini peius credita eram quam tibi (v. 1. 2). Mane erat et q. s. (vv. 7 sqq.)." Nusquam ego conexum sententiarum turbari possum animadvertere. Thesei crudelitatem, qui dormientem se destituerit, Ariadne queritur immanioremque esse beluarum feritate dicit, quibus nunc prodita sit et proiecta. Ita Ariadne in memoriam eius temporis redit, quo primum experrecta se solam esse ac destitutam sensim cognoverit.

XI 103 sq. *Tolle procul, decepte, faces, Hymenae, maritas*
Et fuge turbato tecta nefanda pede!

Vereor ne audacius egisse existimer his verbis in suspicionem vocatis, in quibus offensio nulla inesse videtur. Ac tamen facere non possum, quin proferam id quod sentio. Hymenaeum Canace fugere tecta nefanda iubet v. 104: similem notionem foedae alicuius rei in hexametro desidero. De ense agitur inde a v. 97 ab Aeolo filiae per satellitem tradito, quo ex merito uti iubetur: haec, inquit illa, dos mea est? tum sic eam pergere suspicor:

Tolle procul de caede faces, Hymenaee, maritas
Et fuge turbato tecta nefanda pede!

XI 129 sq. *Tu, rogo, dilectae nimium mandata sororis*
Perfer: mandatis perfruar ipsa patris.

De hoc extremo epistulae disticho quamquam difficile est certum iudicium facere, hoc tamen fieri non posse in animo habeo demonstrare, quod Birtius voluit priora illa verba ad chartam referens, cl. I, 1. Nam aliud est I, 1 *Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe* pronomen *hanc* ad chartam referre sive cum Vahleno l. l. p. 19 ad epistulam, quod idem valet (Sedlmayerus contra intellegit *salutem)*, aliud hoc loco *Tu, rogo,* — *mandata* — *perfer* chartam ipsam appellari velle. Quod cum nullo modo fieri posse mihi persuaserim nec magis servum aliquem, qui Canaces mandata ad Macareum perferat, appellari putem (v. 129 *sororis!*), quod alibi in Heroidibus nusquam invenitur, tamen ne secludi quidem cum Heinsio ultimum distichon recte mihi videtur, sed gravioribus quodammodo vitiis foedatum puto. Confirmatur haec sententia varia librorum scriptura, de qua vide quae Sedlmayerus adnotavit. Suspicatus sum et ipse et coniectum ab Heusingio ex librorum vestigiis Ruhnkenio video placuisse:

Tu, rogo, dilectae nimium mandata sororis
Perfice: muneribus perfruar ipsa patris.

Aperta antithesis: fratrem iubet Canace ipsius perficere mandata (vv. 123—128), ipsa usura est patris munere (cf. vv. 99 sqq.); *perfruar* videlicet ironice dictum est. — *Perfice* in uno codice Heinsius legit; *muneribus* eo quod antecedit substantivo (*mandata* v. 129) submotum esse licet suspicari. — Quae tamen mutationes si violentius factae esse videbuntur, etiam Guelpherbytani lectionem quam supra exscripsi *(Perfer: mandatis perfruar)* defendi posse concedam: *perferre* eadem vi qua *perficere* usurpatur saepius, pro *dono* patris dicitur *mandatum* eius dono additum. Sed utique *mandatis perfruar* legendum erit, non, quod Parisinum secuti Riesius et Sedlmayerus ediderunt, *mandatum persequar.* Nam etsi *persequar* in Parisino scriptum est, tamen quae antecedit vox *mandatis* argumento est librarium in archetypo ipsum quoque *mandatis perfruar* vidisse, sed, cum verbum *perfruar* ironice dictum ei non probaretur, *mandatum* superscripsisse (v. Sedlm.), *persequar* correxisse. — Eicere certe ultimum distichon e contextu non licet: versu 128 *Neve reformida corpus amantis amans* epistulam concludi non potuisse nemo non videt.

XII 177 sqq. *Forsitan et, stultae dum te iactare maritae*
Quaeris et iniustis auribus apta loqui,
In faciem moresque meos nova crimina fingas.
Rideat et vitiis laeta sit illa meis.
Rideat et Tyrio iaceat sublimis in ostro:
Flebit, et ardores vincet adusta meos!

Vitium in primo horum versuum ratus inesse pro adiectivo *stultae,* quod quo referendum sit nescio, coniecturam propono *cultae.* Nam Creusa etsi non sicut Medea herbas et carmina novit (VI, 83; similiter Circe, Medeae amita, Metam. XIV, 34 de se ipsa: *Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim),* tamen stultitia cur ei exprobretur, causa non est. Forsitan narres, inquit Medea, cultae maritae de mea rusticitate, cf. v. 181 et I, 77 sq. *Forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniunx, Quae tantum lanas non sinat esse rudes,* in quibus eiusdem orationis colorem inesse iam pridem animadverterunt. Reliquum est, ut de versu 180 paucis disseram, quem nostrorum temporum editores omnes aut non recte intellegere aut si

recte intellegunt, falsa interpunctione uti censeo. Apertum enim est posterius verbum *rideat* v. 181 pro coniunctivo concessivo vel imperativo sumendum et cum eis quae sequuntur coniungendum esse, prius *rideat* v. 180 tantummodo cum eis quae antecedunt recte coniungi: „forsitan tu narres et illa rideat“ (coni. potent.). Itaque non puncto opus est, quod editores ponunt, in fine versus 179, sed commate aut colo distinguendum est. Sic igitur totum locum legere velim:

Forsitan et, cultae dum te iactare maritae
Quaeris et iniustis auribus apta loqui,
In faciem moresque meos nova crimina fingas:
Rideat et vitiis laeta sit illa meis.
Rideat et Tyrio iaceat sublimis in ostro:
Flebit, et ardores vincet adusta meos!

XII 205 *Dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus.*

Cum adiectivum *sospes* non modo ad *tu* verum etiam ad *Graia iuventus* referendum sit, quod non potest dubium esse, alio mihi videtur signo interpunctionis opus esse atque eo quod omnes editores recentes posuerunt. Commate, non puncto distinguendum est inter duas sententiae intercisiones:

Dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus.

XIV 1 sq. *Mittit Hypermestra de tot modo fratribus uni:*
Cetera nuptarum crimine turba iacet.

In suspicionem hoc primum epistulae distichon Sedlmayerus (Proleg. crit. pp. 67 sq.) vocavit, qui quas causas attulit, his tantum abest, ut movear, ut neque ullam offensionem in his verbis inesse concedam et si abessent, futurum esse ut quam maxime desiderarentur censeam. Scribentis enim nomen ex eis cognoscimus, ut initio epistularum I, II, III, IV, [V,] X (v. quae supra contra Vahlenum disputavimus p. 11), XIII, XV (i. e. Sapphus epistula), XVI, XVIII, XIX aut ipsum scribentis nomen accipimus aut ex eius nomine ad quem litterae dantur colligimus. Idem poetam fecisse initio aliarum epistularum Vahlenus l. l. gravissimis argumentis demonstravit et tale distichon necessarium esse ineunte epistula VII, XI, XII, XVII mihi persuasit. Quibus de causis de epistula X ab eo dissentiam, supra exposui: de reliquis epistulis, imprimis de ep. VIII Vahleno assentior probabiliter exponenti amissum esse initio unum distichon. Sed ut redeam ad primos versus epistulae quartae decimae, parum considerate in eis Sedlmayerum offendisse Vahlenus l. l. pp. 19 sq. suis causis demonstravit, neque est, quod plura de ea re dicam. Quam Sedlm. causis antea prolatis addere se posse dicit comm. crit. p. 55, ne eam quidem ullam vim habere facile videmus. Nam quo pacto offendere potest Sedlm. in verbo *mittit* absolute posito, qui etiam I, 1 *hanc* et X, 3 *quam (legis*-ita mavult Sedlm.) ad *salutem* in titulo epistulae positam referendum arbitretur? Etiam aptius ad verbum *mittit* sine ullo accusativo obiecti positum subaudiri illam *salutem* puto, quam Sedlmayerus in titulo fuisse suspicatur. Rectius, ut vidimus p. 12, et I, 1 epistula ipsa intellegitur et eo de quo disputamus loco. Quod cur hoc loco fieri posse Vahlenus neget, equidem non intellego: meo iudicio accusativus *epistulam* ad verbum *mittit* absolute prolatum dubito an facilius suppleatur quam ad pronomen *hanc*. Vahlenus, ut obiectum ad verbum *mittit* haberet, hanc statuit verborum structuram et distinctionem:

Mittit Hypermestra de tot modo fratribus uni
(Cetera nuptarum crimine turba iacet);
Clausa domo teneor gravibusque coercita vinclis:
Est mihi supplicii causa fuisse piam.

Ergo non plenam sententiam primo disticho effici Vahlenus iudicat, sed coniungendum esse: *Hypermestra mittit fratri: Clausa domo teneor.* Artificiosius quam verius hanc excogitavit rationem loci. An iure Sedlmayerus (Proleg. crit. p. 68) plane abrupte pergi v. 3 affirmavit? Immo nihil magis est consentaneum quam Hypermestram, postquam Lynceo epistulam inscripsit, qua in condicione ipsa sit, illum docere.

XIV 93 sq. *Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?*
Quid numeras factos ad nova membra pedes?

Ita e codicis Parisini memoria omnes editores recentes; mire Sedlmayerus comm. crit. p. 57 in hac re erravit. Sed vitium in pentametro inest nondum perspectum. Io numerare dicitur *factos ad nova membra pedes*, scilicet in vaccam conversa Io. In his verbis nulla alia vis inesse potest nisi haec: pedes ad nova membra additos. Aliud enim quidquam intellegere leges grammaticae nos vetant. At additi sive adiecti ad nova membra Ius non quattuor pedes sunt, quos numerat, sed duo tantum, siquidem alteros duos iam ante habebat. Itaque coniecturam propono:

Quid numeras factos a h! nova membra pedes?

Nempe et mutati sunt Ius pedes et numero plures facti.

XV 103 sq. *Nil de te mecum est nisi tantum iniuria: nec tu,*
Admoneat quod te, pignus amantis habes.

Cum offenderem in abundantia quadam verborum *nil nisi tantum = nur,* suspicatus sum poetam *t a n t a iniuria* scripsisse: iniuria enim est una ea, qua abiens Phaon Sappho affecit. Quod idem etiam a Maehlyo (progr. gymn. Basel. 1886) propositum esse et antea ignoravi et nunc laetor: qui tamen quas ad Ovidii carmina emendationes proposuit, maximam partem haud scio an iure Ehwaldius ann. Burs. tom. XXXXIII p. 227 improbaverit. Sic igitur puto scribendum esse:

Nil de mecum est nisi t a n t a iniuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantus habes.

Nam quod Sedlmayerus non *pignus* sed *m u n u s amantis habes* in textu posuit, in hac ipsa voce error videtur inesse, quippe cum in adnotatione critica de lectione *pignus* omnino nihil dicatur, referantur ei codices, qui *munus* praebeant.

XV 207 sqq. *Ecquid ago precibus, pectusque agreste movetur,*
An riget, et zephyri verba caduca ferunt?
Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent:
Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.
Sive redis, puppique tuae votiva parantur
Munera, quid laceras pectora nostra mora?

Solve ratem! Venus orta mari mare praestat amanti.
Aura dabit cursum, tu modo solve ratem.
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido:
Ipse dabit tenera vela legetque manu.
Sive iuvat longe fugisse Pelasgida Sapphon —
Non tamen invenies, cur ego digna fugi —,
Hoc saltem miserae crudelis epistula dicat,
Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

Sapphon, non *Sappho* v. 217 cum Sedlmayero posui contra Merkelium ex librorum memoria, qui in forma accusativi talium nominum fluctuant (VI, 65 et XII, 11 *Argo* vel *Argon,* VII, 9 et 135 *Didon* vel *Dido,* Am. II, 2, 45 et Art. am. I, 323 *Ion* vel *Io;* cf. Lucian. Müller de re metr. p. 391); accusativus *Sappho* legitur Hor. carm. II, 13, 25. *Fugi* pro *fuga* v. 218 S. G. de Vries coniecit et Ehwaldius probavit. Sedlmayerus praeterea v. 212 *crucias* pro *laceras,* v. 218 *nec* pro *non* in textu habet. Ehwaldius ann. Burs. XXXXIII p. 222. 244 *paranda* mavult quam *parata* v. 211 scribere. Sed ut ad ipsam rem veniamus, in versibus 211 sq. offensum est. Quos cum Harleiano quodam codice secludendos esse ne mihi quidem persuaderi potest, cf. Ehwald. l. l. p. 222, sed non suo eos loco legi iudico. Transponendi mihi videntur post versum 216, ita ut hic versuum 209 sqq. ordo evadat:

Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent:
210 *Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.*
213 *Solve ratem! Venus orta mari mare praestat amanti.*
Aura dabit cursum, tu modo solve ratem.
215 *Ipse gubernabit residens in puppe Cupido:*
Ipse dabit tenera vela legetque manu.
211 *Sive redis, puppique tuae votiva parantur*
Munera, quid laceras pectora nostra mora?
217 *Sive iuvat longe fugisse Pelasgida Sapphon —*
Non tamen invenies, cur ego digna fugi —,
Hoc saltem miserae crudelis epistula dicat,
220 *Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.*

Etenim iam Burmannus recte sensum in vv. 211 sq. negavit se videre. Quos qui defendere voluerunt, in eo erraverunt, quod verba *sive redis* et q. s. ita explicaverunt: „Sive iam *in animo habes redire* et iam nunc comparas sive praeparas munera votiva, quae pro felici reditu diis redux offers et suspendis: veni celer, solve rates“ (Terpstra) aut „Sive *apud animum tuum constituisti redire* et iam paras munera, quae diis pro felici reditu suspendas, redi sine mora“ (Ruhnkenius). Sic si locus capiatur, dicit Ruhnkenius ne parenthesi quidem opus esse, nedum emendatione. At sic locum capi posse nego. Hoc enim unum inest in verbis *Sive redis:* sive iam iter facis, in itinere es, navigas, prope a me abes ob eamque causam iam ea quae vovisti pro felici reditu munera solvere paras, noli in ipso reditu morari. Opponitur altera Sapphus cogitatio: *Sive iuvat longe fugisse:* una autem cum altera coniungenda est, quod nisi ea quam demonstravi ratione versibus transpositis fieri non potest. Iam vide quam aptus sententiarum conexus evadat: quod post verba *sive redis (wenn du schon auf der Rückreise begriffen bist)* parum convenit Sappho admonere, ut Phaon ratem solvat, hoc aptis-

sime cohaeret cum eis verbis quae ego antecedere iubeo: *Hac te, si saperes, lente, decebat opus.* Eadem porro ratio intercedit inter coniunctiones *sive-sive* quae Trist. I, 2, 87 sqq. *Seu me diligitis, tantos compescite fluctus, Pronaque sint nostrae numina vestra rati; Seu magis odistis, iussae me advertite terrae: Supplicii pars est in regione mei;* Her. I, 15 sqq.; IV, 79 sqq.; Metam. IV, 639 sqq.; Art. am. II, 59 sqq.; Cic. de fin. I, 1, 3; de off. II, 2, 6; III, 15, 64, aliis multis locis. Haec enim communis est cogitatio duabus sententiis condicionalibus: „sive redis sive nunquam redibis, certum ego aliquid scire volo; proinde noli morari aut venire aut negare te venturum esse.“ Ita tribus extremis distichis (vv. 211 sq. 217 sqq.) Sappho condicionem suam paucis comprehendit et quid factura sit, si nolit Phaon redire, ostendit.

XVI 97 sq. † *Quas super Oenonem facies mutarer in orbem,*
Nec Priamo est ad te dignior ulla nurus.

Corruptissimus est hexameter, cuius ne sensus quidem certe cognoscitur. Qua de causa de pentametro quoque impeditum est iudicium et difficile. Quae cum ita sint, tamen coniecturam ad hunc locum emendatione sine dubio indigentem proponam. Argute enim Heinsius pro *ad te* proposuit *a te* aliisque probavit: qua re vis eorum quae sequuntur *Sed mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam Coniugii spes est, Tyndari, facta tui* imminui mihi videtur. Itaque non dubito aliud proponere quod in mentem mihi venit:

Nec Priamo est l a t e dignior ulla nurus.

XVI 225 sq. *Oscula cum vero coram non dura daretis,*
Ante oculos posui pocula sumpta meos.

Iuvat me videre non primum me in his verbis offendisse, sed Riesio adsentior, qui *non dura* corruptum esse adnotat. Non veri simile est mollia sive lasciva, ut interpretati sunt, oscula poetam intellegi velle: frigidum quodammodo mihi hoc *non dura* videtur. Contra Riesii suspicionem Sedlmayerus (comm. crit. p. 60) hunc locum tueri conatur comparans Art. am. I, 667 sq. *Tantum ne noceant teneris male rapta labellis, Neve queri possit dura fuisse, cave.* Male confertur hic locus, siquidem ipse Menelaus qui Helenae oscula dat a Paride v. 222 *rusticus iste* nominatus est. Itaque *n o c i t u r a* (scil. mihi), quo participio Ovidius saepe utitur, scribendum puto:

Oscula cum vero coram n o c i t u r a daretis,
Ante oculos posui pocula sumpta meos.

XVIII 37 sq. *At tu, de rapidis inmansuetissime ventis,*
Quid mecum certa proelia mente geris?

In hoc quoque loco ante me Riesius offendit coniecitque *mecum infesta,* quam coniecturam propter rationem metricam Birtius dissuadet. Nec tamen *certa mente* ferri posse mihi videtur, quam interpretantur *obstinatam,* ita ut valeat „animo inmutabili, indesinenter“ (Terpstra). Minime hoc demonstratur eo loco, quem Sedlmayerus (comm. crit. p. 66) contulit, VII, 9, ubi e more Graecorum *certus sum* cum infinitivo coniungitur eadem vi quam plerumque *certum mihi est* habet. Itaque coniectura ipse quoque locum temptavi et sic restitui putavi:

At tu, de rapidis inmansuetissime ventis,
Quid mecum t e t r a proelia mente geris?

Tetra mens apud Catullum LX, 3 legitur, adiectivum *tetricus* apud Ovidium saepius.

XX 179 sq. *Quem si reppuleris nec, quem dea damnat, amaris,*
Et tu continuo, certe ego salvus ero.

Hunc locum corruptum esse ratus in Fleckeis. ann. CXXIX (1884) hanc ego emendationem proposui et pluribus verbis, cur ita sentirem, demonstrare sum conatus:

Quem si reppuleris nec, quem dea damnat, amaris,
Et tu continuo, terque ego salvus ero.

Id enim unum Carolus Dilthey (observationum in epistulas heroidum Ovidianas partic. I indici schol. Gotting. 1884/85 addit. p. 19) me habet consentientem cum a ratione metrica tum maxime a sententia nos offendere illud *certe ego,* quam in ridiculum detorqueat, quoniam faciat Acontium haud obscure profitentem se suae magis quam virginis desideratae saluti timere et prospicere. Non probo reliquas causas Diltheyi, quibus movetur, ut vv. 177—180 suspectos dicat: quam veram esse sententiam Knaackio ille probavit. Praeter hos viri docti, quod sciam, illos versus retinuerunt, Sedlmayerus et Hugo Magnus emendatione mea probata, quam ille in textu posuit, Leo et Ehwaldius non recedendum arbitrati a vulgata lectione. Atque Leo quidem causas non attulit: Ehwaldius ann. Burs. tom. XXXXIII p. 216. 223 postquam Diltheyi suspicionem removere conatus est, *terque ego* pro *certe ego* si scribatur, et Acontii condicionem nimis premi atque urgeri et ipsam emendationem magis quam liceat a tradita librorum scriptura differre dicit. Neque hoc neque illud mihi quidem Ehwaldius persuasit. An minus putabimus Acontii condicionem premi, si nihil omnino Acontius curat valetudinem Cydippes, suae ipse saluti timide prospicit? Est enim haec sententia eorum quae tradita sunt verborum. Contra ego elegantissime Acontium puto affirmare totam suam salutem ac sanitatem in Cydippe eiusque salute contineri. Ac ne metricas quidem Diltheyi dubitationes Ehwaldius vere refutavit. Illa enim vocalis longae in altera parte pentametri elisio *certe ego,* cuius alterum exemplum neque in Ovidii carminibus neque in Pseudovidianis epistulis inveniri ille suo iure affirmavit, non potest defendi versu XV, 96 *verum ut amare sinas* aut versu epic. Dr. 158 *hanc animam ōre pio.* Ferri non posse coniunctionem *et* ante *tu continuo* positam neque, quo referatur, habentem Ehwaldius concedit, sed mavult corrigere *en* cl. VII, 114 (?). Quod non modo Cydippes sed etiam Acontii salus ac valetudo respicitur, recte Ehw. contra Dilth. id defendit cl. Am. II, 13, 15 sq., atque idem vere vidit seclusis cum Dilth. versibus 177—180 non apte coniungi *Siste metum* v. 181 et *Hunc tu, si sapias, limen adire vetes* v. 176. Postremo ipse maxime probabilem esse codicis Bernensis lectionem iudicat:

Quem si reppuleris nec, quem dea damnat, amaris
(Et tunc continuo certe ego salvus ero)
Siste metum, virgo: stabili potiere salute.

Minus ideona mihi haec veteris alicuius grammatici coniectura videtur, qui viderat unam earum quae in versu 180 insunt offensionum et tollere eam studebat. Displicet etiam id, quod, si recte Ehwaldius quid velit intellego, apodosin quae dicitur verbis *stabili potiere salute* vult contineri, ergo non modo versum 180, quem ille in parenthesi posuit, verum etiam verba *Siste metum* in parenthesi esse dicta cogitandum est. Itaque etiamnunc coniecturam quam ante tres annos proposui retineo. Quem illo tempore ad explicandam phrasin *ter salvus* attuli locum Metam. VIII, 51 *O ego ter felix,* huic adicio Trist. III, 12, 25 *O quater, o quotiens non est numerare, beatum, Non interdicta cui licet Urbe frui!* [ex Ponto II, 1, 68 *Quae si me salvo dabitur tua laurea templis, Omina bis dices vera fuisse mea.* ?]

Caput II.

Venio ad alteram partem disputationis meae, qua mihi propositum est demonstrare lectiones optimi ac vetustissimi codicis Parisini 8242 saepius esse retinendas quam ab editoribus nostrae aetatis, etiam a Sedlmayero factum esse video. De qua re post editionem Sedlmayeri alii alia attulerunt: ipse partem eorum quae expositurus sum breviter iam attigi act. philol. (Gotting.) tom. XVI pp. 402 sqq., quo compluribus locis disputationem meam referam.

II 47 *Remigiumque dedi, quod me fugiturus haberes.*

Haec et Parisini et Guelpherbytani lectio quam ob rem etiam a sententia magis mihi placeat quam Etonensis et deteriorum librorum omnium

Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires,

quam editores receperunt, l. l. p. 402 exposui. Hinc etiam corrigendum est, quod Sedlmayerus comm. crit. p. 50, ut demonstraret in archetypo saepius *habere* et *abire* mutatum esse, de hoc loco scripsit. Nunc Ehwaldius quoque Sedlmayerum iniuria a codice Parisino recessisse defendit.

II 98 *„Phylli, fac expectes Demophoonta tuum.“*

Ita cum multi codices tum Parisinus et Guelpherbytanus, a quibus Sedlmayerum non minus quam reliquos editores admiror recessisse. Num verum esse ille credidit, quod Ruhnkenius ad hunc locum adnotat, monosyllabum *fac* longum esse? Fluctuant nimirum codices ut hoc loco ita XIII, 142 et XX, 154 inter *fac* et *face* antique dictum („sed semper elidendum est, ut corripiatur“ Ruhnken.). Etiam ex Ponto II, 2, 64 Merkelium in altera editione *fac* praebere cum optimis libris, non *face,* quod Kornio placuit, l. l. p. 402 ostendi. Itaque nunc Ehwaldius quoque ann. Burs. tom. XXXXIII p. 238, si modo Parisinus *fac* habeat (siquidem nihil de ea re Keilius adnotavit, quo ille teste utitur), Sedlmayero hanc formam in textu reponendum fuisse iudicat.

III 57 sq. *Quin etiam fama est, cum crastina fulserit eos,*
Te dare nubiferis lintea velle notis.

Pro certo Sedlmayerus comm. crit. pp. 16 sq. affirmavit cum Heinsio, qui Ruhnkenium quoque adsentientem habet, *lintea plena* scribendum esse cl. Remed. am. 266. Improbanda haec est sententia cum Birtio et Ehwaldio, etsi ineptam Heinsii lectionem dicere ego dubitaverim. Illud autem *velle* Micyllus ingeniose elicuit ex eo, quod plurimi codices habent: *vela* (pauci *vella*).

IV 9 sq. *Qua licet et sequitur, pudor est miscendus amori.*
Dicere quae puduit, scribere iussit amor.

Ita cum omnibus libris editores, nisi quod Sedlmayerus e Birtii coniectura *Qua licet et quitur* in textu posuit. Neque vero nullam offensionem illud *sequitur* movet, quae tamen interpretatione potius quam emendatione atque ea audacissima videtur tollenda. Etenim Birtius cum illud *sequitur* explicatum non esse iudicaret *(„der absolute und gar der unpersönliche Gebrauch von sequitur scheint unlateinisch“),* cl. XVI 237 sq. *Qua licet et possum, luctor celare furorem. Sed tamen apparet dissimulatus amor* dubitavit, scriberetne *possum* pro *sequitur* an forma obsoleta poetam usum esse sibi persuaderet *Qua licet et quitur,* ita ut ad

quitur infinitivus passivi *misceri* suppleretur. Ingeniose ille quidem hanc emendationem e codicum scriptura elicuit aliasque nonnullas formas singulares aut obsoletas ab Ovidio usurpatas comparavit: *dimicuisse* Am. II, 7, 2; 13, 28; *moriri* Metam. XIV, 215. Nec tamen facile a nobis impetrabimus, ut illam formam alibi non exstantem poetae ultro inculcemus et quasi obtrudamus. Sed quaeritur, num re vera tradita scriptura explicari non possit. Ac Ruhnkenius quidem, postquam de illa explicatione dixit, qua volunt *qua sequitur* idem valere atque *qua facile est,* „sed rectius, inquit, Gesn. Thes. L. L. v. *sequor* in verbo *sequitur* retrahit nominativum *pudor.* Nam pudor *sequitur,* velut innuentem aut vocantem.“ Quam explicationem meam facio non totam, sed interpretor: *sequitur* scil. *pudor (amorem).* Itaque, si mavis, etiam sic verba interpungas: *Qua licet et sequitur pudor, est miscendus amori.* Hoc igitur Phaedra dicit pudorem aut omnino non aut raro amorem sequi, pudorem cum amore parum convenire. Conferri volo XV 121 *Non veniunt in idem pudor atque amor.*

V 37 sq. *Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,*
Ut mihi narrasti, d u r a per ossa tremor.

Haec omnium librorum retinenda mihi videtur lectio. Sed Palmerus in duris Oenones ossibus offendens *Ut mihi narrasti, dure, per ossa tremor* suspicatus est, Sedlmayerus palmarem hanc esse emendationem ratus in textum recepit, Birtius probavit. Non iustis causis, ut mihi videtur, dura nymphae ossa K. P. Schulzius defendit de Camilla Vergiliana admonens: verius mihi videor l. l. p. 403 ostendisse ipso tremore durari Oenones ossa *(unempfindlich, gefühllos).*

IX 69 sq. *Si te vidisset cultu Busiris in isto,*
H u i c victor victo nempe pudendus eras!

Sic Merkelius et Riesius ex optimorum codicum memoria habent. Deteriorum quorundam librorum auctoritatem secutus Sedlmayerus *Sic victor* edidit. Non erat, cur mutaretur: nisi forte *Hinc* etiam propius quam *Huic* a litteris in Parisino traditis abesse censes.

X 25 sq. *Mons fuit: apparent frutices in vertice rari;*
N u n c scopulus raucis pendet adesus aquis.

Ita Parisinus, quem Merkelius secutus est nec non Palmerus genuinam lectionem praebere suspicatur. Non recte Riesius et Sedlmayerus ex Guelpherbytano *Hinc* pro *Nunc* receperunt, quod Birtius probavit. Explicat autem Palmerus: *Olim mons fuit (v. 25), sed nonnisi scopulus n u n c superest, monte maximam in partem ab undis dissipato.* Quomodo fieri potuerit, ut Birtius diceret, si Palmerum sequeremur, *Mons fuerat* legendum esse, non intellego, quippe cum tempora praesentia *apparent, pendet* sequantur: ergo ne potuit quidem dici *Mons fuerat.* Nec plus altera causa valet, quam contra Palmerum Sedlmayerus affert Ariadnen scire posse negans, qualis superiore tempore ille mons vel scopulus fuerit. At ex ipsis fruticibus etsi raris tamen adhuc apparentibus Ariadne cognoscit montem olim fuisse eum, qui iam scopulus tantum est; observes velim chiasmum qui dicitur *(Mons fuit: apparent frutices).* Postremo similem locum affero V, 61 sq. *Aspicit immensum moles natira profundum; M o n s f u i t: aequoreis illa r e s i s t i t aquis.* Prorsus eadem est sententia, eadem ratio temporum: nec potuit poeta alio tempore uti. An hoc quoque loco sibi quisquam persuadebit *Mons fuerat* poetae dicendum fuisse?

X 31 sq. *Aut vidi, aut tamquam quae me vidisse putarem,*
Frigidior glacie semianimisque fui.

Hic locus, de quo uberius disputavi l. l. pp. 403 sq., meo iudicio non est emendandus: sanus ab omni parte mihi videtur.

X 141 sq. *Non te per meritum — quoniam male cessit — adoro:*
Debita sit facto gratia nulla meo:
Sed ne poena quidem. Si non ego causa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.

Ita Parisinus cum aliis libris. Editores omnes *Sed nec poena quidem* in textu posuerunt, quod quomodo defendatur nescio. Nihil enim de ea re viri docti dicunt. Quamquam XVII, 235 *Tale nihil timeo: sed nec Medea timebat* legitur: at aliter comparatus est hic locus, quia *quidem* in eo non inest. Atque eo magis miror Parisini lectionem repudiatam esse, quod iam Ruhnkenium video legi iussisse *Sed ne poena quidem:* nam constare scribit inter criticos, ubicunque *nec quidem* vel *neque quidem* legatur, scribendum esse *ne quidem.* Petit a Theseo Ariadne, ut, si non praemio sui in illum meriti, at ne poena quidem afficiatur.

XII 19 sq. *Semina iecisset, totidemque et semina et hostes,*
Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.

Egregiam hanc Parisini lectionem contra Merkelium, Sedlmayerum, alios multos defendi l. l. p. 404. Vere poetae verba Riesius in editione sua intellexerat, atque idem sentit Leo, qui Sedlmayerum iniuria a codice Parisino recessisse iudicat. Mirum quam inde ab Heinsio viri docti locum sanissimum temptaverunt, magisque miror, quid Riesium commoverit, ut postea sententiam mutaret.

XII 65 sq. *Disiectamque comas adversaque in ora iacentem*
Invenit, et lacrimis omnia plena meis.

Ita cum plurimis eisque optimis codicibus Merkelius. Vehementer dubito, num Riesius, Sedlmayerus, alii recte *aversaque in ora iacentem* scripserint. Cf. Caes. bell. civ. III, 99, 1 *Interfectus est — Crastinus — gladio in os adversum coniecto;* bell. Gall. V, 35, 8 *Lucius Cotta legatus omnes cohortes ordinesque adhortans in adversum os funda vulneratur.*

XII 119 sq. *Nec tamen extimui — quid enim post illa timerem? —*
Credere me pelago, femina iamque nocens.

Recte Parisini lectionem *iamque nocens* contra Merkelium et Riesium Sedlmayerus revocavit, nec vulgatam *tamque nocens* a K. P. Schulzio defendi oportuit. Sed quod vulgo post *femina* commate interpungitur, comma potius ante idem vocabulum ponendum est. Hoc enim Medea dicit: non extimui me pelago credere, etsi femina, etsi iam nefario scelere obstricta. Duae igitur causae sunt, cur extimescere potuerit, altera in sexu eius posita, altera in scelere occisi fratris.

XII 149 sqq. *Me quoque, quidquid erat, potius nescire iuvabat:*
Sed tamquam scirem, mens mea tristis erat:
Cum minor e pueris — iussus studioque videndi
Constitit ad geminae limina prima foris —

„Hinc mihi, mater, abi! pompam pater“ inquit, „Iason
Ducit et adiunctos aureus urguet equos.“

Recte Sedlmayerus intellexit (Comm. crit. p. 49) in v. 151 ex Parisino codice *iussus* scribendum esse, neque erat, cur postea mutata sententia hunc versum obelo notaret. Miror tamen interpunctionem, qua editores utuntur omnes, puncto post v. 150 posito. Colo distinguendum est, quippe cum vv. 151 sqq. *cum minor e pueris inquit* sine dubio habeamus *cum* quod dicitur *inversum*.

XIII 37 sqq. *Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes*
Bella sub Iliacis moenibus ille gerat?
Ipsa comas pectar, galea caput ille prematur:
Ipsa novas vestes, dura vir arma ferat?

Qua causa permoti editores in v. 37 a Parisini lectione vestes recesserint et lanas scripserint, non satis intellego, praesertim cum lanas pro vestibus usurpari exemplis demonstrari non possit. Itaque vestes reponendum puto, quod Leo quoque voluit. Diversa est ratio versus 40, in quo iterum *vestes* commemorantur: de hoc versu dubito neque audeo iudicare, quod Parisinus hic nos omnino deficit. Fortasse hic *vestes* erit mutandum *(novas frondes?)*.

XIII 97 sq. *Hoc quoque praemoneo: de nave novissimus exi;*
Non est, quo properes, terra paterna tibi.

Ita editores ante Sedlmayerum, qui e deterioribus aliquot libris *quo properas* novavit Madvigioque idem placuisse adnotat comm. crit. p. 51. At nihil valet quod Sedlm. contra optimorum librorum lectionem affert. Sententiam loci hanc putat esse: *Das Land, dem du zueilst, ist nicht dein Vaterland*: quae una si in verbis inesse posset, sine ulla dubitatione concederemus *quo properas* legendum esse. Alienum nostro loco dicit, quod ei videtur in verbis *quo properes* inesse: *Du hast kein Vaterland, dem du zustreben könntest.* Et hoc quidem vere affirmavit: at prorsus aliud inest in lectione vulgata: *nicht die Heimat ist es, dass du ihr zueilen müsstest.* Proinde noli, Laodamia inquit, properare; non est, quod properes: nam illa terra quam petis non est tibi paterna terra. „Tum vero (sic recte Terpstra explicat) multae eaeque gravissimae causae essent, quae te impellerent, ut primus in terram desilires, patria scil., parentes, Laodamia.“ Multo hoc elegantius a poeta dictum esse quis est qui non videat?

XIII 119 sq. *Semper in his apte narrantia verba resistunt:*
Promptior est dulci lingua referre mora.

Retinenda haec paene omnium codicum videtur scriptura. Nulla enim offensio neque in verborum structura neque in ipso verbo *referre* absolute posito inest. Cum igitur emendatione nihil opus sit, nec *retenta* probari potest nec *refecta,* quae coniectura pridem facta cl. Fast. IV, 610 compluribus viris doctis placuit. Equidem consulto poetam eiusdem verbi crebra repetitione (v. 116 *referas,* v. 117 *referes,* v. 120 *referre*) usum esse censeo, quo maior vis in enarrandis rebus ad Troiam gestis, in quibus tota versatur res, collocaretur.

XIII 137 sq. *Ipsa suis manibus forti nova nupta marito*
Imponet galeam Dardanaque arma dabit.

Sic Parisinus, cuius lectionem ab omnibus repudiari video: editur enim vulgo *barbaraque arma.*

Adiectivum *Dardanus* ut alii poetae ita Ovidius posuit Trist. V, 10, 4 *Dardana Troia;* idem poeta *Dardanis armis* opponit *Argolica arma* Trist. II, 317, *Aetola arma* (Diomedis) nominat Metam. XIV, 528, *Raetica Thraciaque arma* Trist. II, 226, *Getica arma* Trist. V, 3, 11; ex Ponto II, 8, 69. Itaque ab usu et consuetudine dictionis Ovidianae *Dardana arma* non abhorrere satis mihi videor demonstrasse; *barbara arma* num dixerit, nescio. Tamen minime offendo in vulgata lectione, quae si exstaret in Parisino, non mutanda mihi videretur.

XIV 27 sq. *Vulgus „Hymen, Hymenaee" vocat. Fugit ille vocantis:*
Ipsa Iovis coniunx cessit ab urbe sua.

Quid causae sit, cur vulgo editores ab optima scriptura codicum Parisini, Guelpherbytani, aliorum recedentes *vocant* dederint, non facile est videre: videmus facile in inferioribus codicibus propter pluralem numerum qui sequitur *vocantis* eundem numerum in eis quae antecedunt correctum esse.

XIV 41 sq. *Aut sic aut etiam tremui magis. Ipse iacebas,*
Quaeque tibi dederam vina, soporis erant.

De lectione *vina* omnes libri consentiunt, quam recte se habere contra Palmerum, Sedlmayerum, Birtium et ipse defendi l. l. p. 404 et Leo iudicat. Inurbanum indignumque elegantissimo poeta videtur mihi, quod Palmerus voluit, et a sententia et a dictione vituperandum. Eodem loco demonstrare sum conatus iniuria a Palmero ad probandam suam emendationem Priap. III, 5 sqq. conferri, ubi numerus singularis, non pluralis pronominis reflexivi neutrius generis legitur: ea ipsa re immane quantum hic locus ab illo discrepat. Reponendum igitur *vina:* commate utrum ante *vina* an post *vina* distinguas, non multum interest.

XVI 145 sq. *Credis et hoc nobis? minor est tua gloria vero,*
Famaque de forma paene maligna tua est.

In fine pentametri utrum *tua est* an *fuit* (vid. quae Sedlm. de Parisino adnotat) scribendum sit, non audeo iudicare. Sed initium hexametri mutandum esse negavi l. l. p. 404 atque idem Birtius suo iure negavit. Cavendum hoc potissimum loco est, ne eam quae optime tradita est scripturam temere corrigamus.

XIX 207 sq. *Spes tamen est fractis vicinae pacis in undis:*
Tum placidas toto pectore finde vias.

Praestat meo iudicio hanc Parisini et fere omnium codicum lectionem reponere a Merkelio receptam quam eam quae ceteris viris doctis placuit *tuto pectore.* Quod si probaverimus, vereor ne sententia infirmetur. Hero orat Leandrum, ut, quamdiu tempestate transnare ad se vetetur, se contineat; esse spem fore ut brevi fluctus sedentur: *tum* vero (scil. cum tutum esset undis se dare) animo suo et cupiditati indulgeat, tum placidas (in hoc adiectivo inest, quod volunt in adiectivo *tuto* inesse) vias toto pectore findat. Quod Sedlmayerus *„toto pectore, mit ganzer, voller Brust"* negat exemplis probari, unum locum affero Metam. IX, 44 sq. *totoque ego pectore pronus* (an rectius cum Grunauero *pectus?*) *Et digitos digitis et frontem fronte premebam.* — Quodsi eo de quo disputavimus loco Merkelium iure Parisini lectionem *toto* retinuisse ostendi, dubitari non potest, quin idem falso omnium codicum lectionem *tota* retinuerit IX, 15, quem locum egregie Heinsius correxit: *Se tibi pax terrae, tibi se tuta*

aequora debent. Vere enim vidit Herculem dici et terram et mare *tutum* praestitisse variis monstris domitis, cum eleganti orationis varietate *(pax terrae — tuta aequora).*

Paucos libet adiungere locos, ubi falsa codicis Parisini scriptura in textu legitur.

XII 167 sq. *Quaeque feros p e p u l i doctis medicatibus ignes,*
Non valeo flammas effugere ipsa meas.

Contra Sedlmayerus *repuli* scripsit ex Parisino, qui *repudi* habet littera *l* litterae *d* superscripta. Virorum doctorum in hoc versu consensus Sedlmayero dubitationem movere poterat, liceretne hanc formam defendere. Operae pretium esse puto de hoc perfecto et aliis formis id genus *(reppuli, repperi, rettuli, rettudi; reccidi; reccidat)*, cum nondam tota quaestio tractata videatur, separatam instituere quaestionem.

XIV 99 sq. *Quaeque modo, ut p o s s e s etiam Iove digna videri,*
Dives eras, nuda nuda recumbis humo.

Ita e codice Guelpherbytano cum Merkelio scribendum. Ceteri editores ex Parisino *possis* ediderunt, quod dubito an defendi non possit. Nam aliter comparatus est hic locus, aliter ei quo praeterea inveni Ovidium tempora contra leges consecutionis temporum quae dicitur posuisse: VIII, 90 *Et duo cum vivant, orba duobus eram;* XVII, 26 *Cum sim rapta, meum quid nisi nolle fuit?* Metam. XI, 30 sq. *Neu desint tela furori, Forte boves presso subigebant vomere terram.*

Contra falsa Parisini lectio non est in textum ab editoribus recepta

VIII 61 sq. *Flere licet certe. Flendo d i f f u n d i m u s iram,*
Perque sinum lacrimae fluminis instar eunt.

In Parisino exstat *defundimus,* quam lectionem Leo retineri vult. At nusquam in Ovidii carminibus hoc verbum *defundere* occurrit neque aptior videtur ad rem declarandam. Cf. Metam. IX, 142 sq. *Indulsit primo lacrimis, flendoque dolorem Diffudit miseranda suum.*

Postremo loco hic mihi de forma *proprior* disputandum erit, quam Parisinus **XVI, 328 et XX, 160** tradidit, ediderunt priore loco Merkelius, Riesius, Sedlmayerus, posteriore loco unus Merkelius. De qua re ut verius iudicium facere possimus, in unum locum confero quattuor eos Heroidum locos, in quibus aut Parisinus aut libri inferiores illam formam *proprior* exhibent:

III 27 sq. *Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati,*
Ille gradu p r o p i o r sanguinis, ille comes.

XVIII 177 sq. *Quo p r o p i u s nunc es, flamma p r o p i o r e calesco,*
Et res non semper, spes mihi semper adest.

XX 159 sq. *Haec mihi se pepigit, pater hanc tibi, primus ab illa;*
Sed p r o p i o r certe quam pater ipsa sibi est.

XVI 327 sq. *Nam sequar Aegidae factum fratrumque tuorum:*
Exemplo tangi non p r o p i o r e potes.

Miror, quid interesse inter hos locos viris doctis videatur, cum praesertim forma *proprior,*

i. e. comparativo adiectivi *proprius* scriptores romanos usos esse certis exemplis non sit demonstratum. Itaque XX, 160 Merkelium, XVI 328 omnes editores recentes falsam codicis Parisini lectionem edidisse iudico.

Reliquum est, ut ad alia Ovidii carmina, quod mihi ego extremum proposueram, coniecturas. nonnullas appendicis loco proferam.

Am. III 3 1 sq. *Esse deos, i, crede! Fidem iurata fefellit:*
Et facies illi quae fuit ante, manet.

Ne longus sim, offendo in imperativo *i* praeter consuetudinem poetae posito. Nam cum acerbitate quadam et amaritudine vocis illa verba dicuntur: quod ubicumque fit, legimus apud Ovidium *I nunc* vel *I nunc et* sequente altero imperativo. Nostri autem loci eandem esse rationem quam illorum locorum facile cognoscemus, cum illos perlustraverimus. Legimus enim in Ovidii carminibus:

Am. I 7, 35 sq. *I nunc, magnificos victor molire triumphos,*
Cinge comam lauro votaque redde Iovi.
Her. III 25 sq. *Nec repetisse, parum: pugnas, ne reddar, Achille.*
I nunc et cupidi nomen amantis habe.
Her. IV 127 sq. *I nunc, sic meriti lectum reverere parentis:*
Quem fugit et factis abdicat ille suis.
Her. IX 105 sq. *I nunc, tolle animos et fortia gesta recense:*
Quod (?) *tu non esses iure, vir illa fuit.*
Her. XII 205 sq. *Dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus.*
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.
Her. XVII 59 sq. *I nunc et Phrygiae late primordia gentis*
Cumque suo Priamum Laumedonte refer.
Art. am. II 221 sq. *Paruit imperio dominae Tirynthius heros:*
I nunc et dubita ferre, quod ille tulit.
Art. am. II 635 sq. *I nunc, claude fores, custos odiose puellae,*
Et centum duris postibus obde seras.
ex Ponto I 3, 61 sq. *I nunc et veterum nobis exempla virorum,*
Qui forti casum mente tulere, refer.

Nec non alii eiusdem aetatis poetae hac formula dicendi sunt usi. Quamquam non in Catulli aut Tibulli carminibus occurrit (teste Eschenburgio in commentatione ea quam nuper edidit: *Wie hat Ovid einzelne Wörter und Wortklassen im Verse verwandt? Ein Beitrag zur Echtheitsfrage der Heroides des Ovid.* Lubec. 1886, p. 3): sed bis apud Propertium:

Propert. III, 27, 21 sq. *Atque ita mi iniecto dixerunt rursus amictu*
(ed. Luc. Muell.) *„I nunc et noctes disce manere domi.“*
Propert. IV, 17, 17 sqq. *I nunc, tolle animos et tecum finge triumphos,*
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent,
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.

Horatii unum exscribo locum:

Horat. epist. II, 2, 75 sq. *Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:*
I nunc et versus tecum meditare canoros.

Alterum Horatii locum affero epist. I, 6, 17 (vid. Krueger. ad h. l.); prorsus aliter ab eodem dictum est *nunc i* epist. I, 7, 71.

Quae vis in hac formula *I nunc (et)* insit, si quaerimus, recte eam Terpstra illustravit, qui increpantis, irridentis, insultantis, exsecrantis esse formulam adnotat. Etenim is qui loquitur iudicat id, quod imperativo formulae *i nunc* adiuncto aliquem facere iubet, aut fieri non posse aut non iure fieri. Eadem vero, ut supra diximus, sententia est Am. III, 3, 1, non eadem formula. Iam videamus, num forte Ovidius eandem sententiam ipso quoque imperativo *i* (i. e. adverbio *nunc* non adiuncto) expresserit. Nec vero raro hic imperativus legitur aut solus aut cum altero imperativo coniunctus. At semper, quantum video, ubicumque imperativus *i* adverbio *nunc* non adiuncto a poeta usurpatur, re vera facere aliquis aliquid iubetur. Ac solus quidem hic imperativus legitur, ut nonnulla exempla afferam:

Art. am. III, 505 sq. *„I procul hinc", dixit „non es mihi, tibia, tanti",*
Ut vidit vultus Pallas in amne suos.

Her. XVIII, 15 sq. *Protinus haec scribens „felix, i, littera" dixi:*
„Iam tibi formosam porriget illa manum."

Trist. I, 1, 57 sq. *Tu tamen i pro me, tu, cui licet, aspice Romam:*
Di facerent, possem nunc meus esse liber!

Simillimus locus Trist. I, 1, 1 sqq. *Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in Urbem.*
Ei mihi, quod domino non licet ire tuo!
Vade, sed incultus, qualem decet exulis esse.

ibid. v. 15 *Vade, liber, verbisque meis loca grata saluta.*

Eodem referendum est, quamquam sequitur alter imperativus:

Fast. II, 249 *„I, mea" dixit „avis, ne quid pia sacra moretur,*
Et tenuem vivis fontibus adfer aquam."

Aliter ei loci comparati sunt, ubi imperativus *i* per asyndeton, ut ita dicam, cum altero imperativo coniungitur. Sed his quoque locis semper aliquis facere aliquid iubetur. Exempla affero haec:

Metam. XV, 22 sqq. *Claviger adloquitur: „patrias, age, desere sedes:*
I, pete diversi lapidosas Aesaris undas"
Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.

Fast. IV, 731 sq. *I, pete virginea, populus, suffimen ab ara:*
Vesta dabit, Vestae munere purus eris.

Simile Horatianum illud:

Hor. carm. III, 14, 17 *I, pete unguentum, puer, et coronas.*

Eodem refero locum, in quo verbum *ire* suam vim paene iam amisit:

Remed. am. 487 *Quaeris, ubi invenias? artes, i, perlege, nostras.*

Attamen perlegere artes suas iubet poeta, quisquis cupiat invenire.

ex Ponto IV, 3, 51 sqq. *„Litus ad Euxinum" siquis mihi diceret „ibis,*
Et metues, arcu ne feriare Getae":

„I, bibe“ dixissem „purgantes pectora sucos,
Quidquid et in tota nascitur Anticyra.“
Sum tamen haec passus.

Poeta enim his verbis etsi irridet, tamen re vera *bibere sucos* sanantes iubet vel potius se iussurum fuisse dicit, si quis praedixisset se ad Euxinum litus iturum esse. Prorsus idem iudicandum est de eo loco, quem ultimum affero:

Metam. XII, 474 sqq. *„Vel quid nata, vide, vel quid sis passa; columque,*
I, cape cum calathis et stamina pollice torque:
Bella relinque viris“:

si modo hoc *i, cape* rectius se habet quam quod in Amploniano legitur *tu cape*. Sed diversa est eius loci ratio, de quo disputamus, Am. III, 3, 1: neque enim *iubet* poeta, sed *vetat* deos credi, quia puella fidem iurata fefellit atque facies eius eadem quae ante manet. Hic igitur intellegendum est: *Noli iam credere deos esse* aut *Credat, quisquis volet,* quod imperativo *i* cum *crede* coniuncto a poeta dictum esse non est veri simile. Itaque cum antea de adverbio *iam* cogitaverim, quod fortasse per compendium scriptum in *i* mutatum esse putabam, nunc credibilius mihi videtur haec Ovidium scripsisse:

Esse deos sic crede! Fidem iurata fefellit:
Et facies illi quae fuit ante, manet.

Sic, i. e. postquam illa fidem iurata fefellit nec tamen facies eius mutata est. Quam facile fieri potuerit, ut *sic* et primam et postremam litteram amitteret, cum antecederet vox *deos* in litteram *s* desinens, sequeretur vox *crede* a littera *c* incipiens, intellegitur.

Art. am. III 153 sq. *Et neglecta decet multas coma. saepe iacere*
Hesternam credas, illa repexa modost.

In abrupta quadam sententiarum coniunctione offendo, in eo maxime, quod pronomen *illa* non habet quo referatur. Sic potius ab Ovidio locum profectum esse censeo:

Et neglecta decet multas coma: quamque iacere
Hesternam credas, illa repexa modost.

Metam. VI 252 sq. *Quod simul eductum, pars est pulmonis in hamis*
Eruta cumque anima cruor est effusus in auras.

Sic editores, nisi quod Kornius *eductum est* praebet. Hac ego lectione recepta malim *pars et pulmonis* scribere: cum ferro pulmonis quoque pars eruta est. Ex insequenti versu pro *et* facile *est* irrepere potuit, quod ad *cruor effusus* positum est, ad *pars pulmonis eruta* subauditur. Itaque sic puto scribendum esse:

Quod simul eductum est, pars et pulmonis in hamis
Eruta cumque anima cruor est effusus in auras.

Trist. V 12, 61 sqq. *Scribimus et scriptos absumimus igne libellos:*
Exitus est studii parva favilla mei.
Nec possum et cupio non ullos ducere versus:
Ponitur idcirco noster in igne labor,
Nec nisi pars casu flammis erepta dolove
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.

nec pars ulla nisi casu
erepta ad vos pervenit

Pronomen *ulla* in versu 66 positum recte se habere persuadere mihi non possum. Quamquam non desunt loci, qui doceant Ovidium hoc pronomen etiam in sententiis affirmativis usurpasse. Ex Ponto IV, 8, 85 et IV, 15, 39 *ullo* veram lectionem esse nuper Ehwaldius negavit (ann. Burs. tom. XXXXIII p. 263), etsi altero loco Merkelius ed. II. ad hanc lectionem rediit. Her. XX, 6 dubito an vere Birtius coniecerit *Qui meus est nulla parte dolente dolor,* non ille quidem in forma pronominis indefiniti offendens. Art. am. III, 380 *Iuppiter a vobis tam turpia crimina pellat, In quibus est ulli cura placere viro* non praeter consuetudinem scriptorum latinorum dictum videtur, siquidem hoc dicitur: Iuppiter a vobis — pellat, si ulli placere vultis, i. e. Aut pellat Iuppiter — a vobis aut placere nulli viro potestis; sic Metam. VI, 548 *Audiat haec aether, et si deus ullus in illo est* et aliis locis permultis. Unum praeter hos affero locum Her. X, 79 sq. *Nunc ego non tantum, quae sum passura, recordor, Sed quaecumque potest ulla relicta pati:* quo de versu non satis mihi constat *(una relicta?)*. Sed etiamsi concedendum est pronomen *ullus* interdum in affirmativis sententiis inveniri, tamen illo loco de quo disputo ne ullum quidem pronomen (neque *ulla* neque *aliqua*) mihi placet. Neque enim hoc *ulla* nisi cum substantivo *pars* coniungi potest: *pars ingenii ulla mei.* Malim pronomine ad vocem *pars* adiecto prorsus carere. Hoc autem videtur mihi Ovidius scripsisse:

Nec nisi pars casu flammis erepta dolore
Ad vos ingenii pervenit usque mei.

Saepe a poeta hoc adverbium *usque (ad vos)* eodem pentametri loco usurpatur, velut Remed. am. 418; Her. XVIII, 118; Trist. III, 7, 54; Art. am. I, 140 *qua potes usque;* Am. I, 14, 4 et Art. am. III, 310 *qua patet usque;* Her. VI, 108 *a patria Phasidis usque,* i. e. usque a patria Phasidis. — Addo non placere, quod Ehwaldius in altera Ovidii editione Merkeliana edidit v. 63 *Nec possum et cupio non nullos ducere versus,* quae lectio ut idem fere valet ac vulgata ita vi ac subtilitate sermonis multo inferior est. Cupit nimirum Ovidius nullos versus facere, quia se perdiderint (vv. 67 sq.), nec vero potest versus non facere (vv. 59 sq.).

Index locorum.

Corrigenda.

pag. 4 lin. 28 pro Phraedra leg. Phaedra.
pag. 7 lin. 8 signum interrogationis del.
pag. 11 lin. 21 leg. posita *habeamus* [pro esse] inter et q. s.
ibid. lin. 32 pro Hymenae leg. Hymenaee.
pag. 12 lin. 13 pro Heusingio leg. Heusingero.
pag. 13 lin. 13 post *sospes* puncto, non commate interpung.
pag. 14 lin. 30 pro amantus leg. amantis.
pag. 21 lin. 13 pro usurpuri leg. usurpari.
pag. 22 lin. 19 pro reflexivi leg. *relativi*.
pag. 23 lin. 9 pro nondam leg. nondum.
ibid. lin 15 pro quo leg. *quibus*.

Jahresbericht
über
die Fürsten- und Landesschule Meissen
vom Juli 1886 bis Juli 1887.

I. Lehrverfassung.

Übersicht des von Ostern 1886 bis Ostern 1887 erteilten Unterrichts.

A. in Sprachen und Wissenschaften.

Oberprima. Klassenlehrer Rektor und Professor Dr. Peter.

Lateinische Sprache, 8 St. Tacit. ann. IV—VI. Cicer. de orat. II cap. 1—10. 27—fin. (excl. 53, 216—71, 290) 4 (3) St. Mündliches Übersetzen aus Seyfferts Übungsbuch für Sekunda, Emendation der Aufsätze und der (alle 14 Tage abwechselnden) Klassenaufsätze, Pensa und Extemporalia 1 (2) St. Disputationsübungen über geschichtliche Themen (z. T. im Anschluss an Livius) 1 St. Rektor. Horaz, Satiren und Episteln mit Auswahl, Repetition der Oden und metrische Arbeiten. 2 St. Fleischer.

Griechische Sprache, 7 St. Thucyd. III, IV 1—10 im S., Plato Protagoras im W. 3 St. Korrektur der alle 14 Tage abwechselnden Pensa und Extemporalia und Repetition ausgew. Abschnitte der Syntax 1 St. Angermann. Sophokles Oedipus rex im S., Oedipus Colon. und (kursorisch) Aristophanes Ritter im W. 3 St. Rektor.

Privatim wurden unter Kontrolle des Ordinarius von allen gelesen: Tacit. Germania, ferner von fast allen der Sophokles zu Ende, sonst nach freier Wahl.

Deutsche Sprache, 3 St. Lessings Leben und Hauptschriften im S., Goethes Leben und Hauptdichtungen (von den Dramen namentlich Iphigenie, Tasso und Faust) im W., Übungen im freien Vortrag und im Disputieren, Korrektur der Aufsätze. Flathe.

Französische Sprache, 2 St. Lektüre von Michel Perrin comédie par Mélesville et Duveyrier und Thierry, Lettres sur l'histoire de France V. Mündliches Übersetzen ins Franz. aus dem Übungsbuch von Noiré. Emendation der freien Arbeiten und Extemporalien. Monatliche Repetitionen der Formenlehre und Syntax. Köhler.

Hebräische Sprache, 2 St. Lektüre von ausgewählten Psalmen und von Genesis c. 10—15. 10. 24, Exodus, Buch Ruth (kursorisch), Buch Joël. Repetition der Formenlehre, Syntax im Anschluss an die Lektüre. Türk.

Religionslehre, 2 St. Kurze Besprechung der ökumenischen und der lutherischen Bekenntnisschriften. Repetition der Reformationsgeschichte vom Reichstag zu Worms bis zum Reichstag zu Augsburg. Erklärung der Confessio Augustana (1. Teil) im S.; Die neutestamentliche Schriftensammlung. Die drei ersten Evangelien verglichen mit dem Johannesevangelium (Lektüre ausgewählter Abschnitte nach dem Urtext) im W. Türk.

Geschichte, 3 St. Neueste Geschichte von Beginn der französischen Revolution bis 1830 2 St. Römische Geschichte und Repetition der früheren Pensen 1 St. Flathe.